

www.e-rara.ch

Johannis Prideaux Opera theologica quae latinè extant omnia

Prideaux, John

Tiguri, 1672

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13503>

Lectio II. De scientia media.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

LECTIO II.

De

SCIENTIA MEDIA.

In Vesperijs Comitiorum habita Oxon. Julij XII.

Anno Domini 1617.

ROM. IX. IO. II. 12.

- 10. --- Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patre nostro.
- 11. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante.*
- 12. *Dictum est ei, Quia maior serviet minori.*

Nihil est quod magis appetit humanum ingenium, quam blanditiis demulceri. Ideoque ubi dotes suas magni fieri audit, in hanc partem semper nimia credulitate propendet. Adamo in Paradiso non satis fuit ad similitudinem efformari Creatoris, nisi etiam æqualitatem affectaret. Post lapsum autem cum malè utens libero arbitrio & se perdidit & liberum arbitrium, ut habet Augustinus in Enechirid. & ex eo Lombardus 2. sent. dist. 25. non defuerunt tamen ex ipsius posteris, qui Naturam jam deformatam, & proprio sanguine volutantem, adversus salutarem Gratia antidotum, sacrilegè astruerent. Noti sunt in primitivâ Ecclesiâ Pelagianorum, & Semi-pelagianorum sive Malsiliensium, gigantes rei ex hâc parte conatus; quos non ita Hieronymi, Augustini, Fulgentii, Prosperi, & aliorum fregit diligentia, quin labentibus deinceps sæculis identidem repullularent. Adeò ut triumphatos potius, quam victos hosce hostes, (ut loquitur Tacitus de Britannis) à Patribus diceres. Ante ducentos sexaginta plus minus annos, totum penè mundum post Pelagium abiisse queritur doctissimus noster Archiepiscopus Thomas de Bradwardina. Jamque non Jesuitæ solum, sed nuper nati Remonstrantes, nescio quid monstri alunt, & speciosius incautioribus obtrudunt. Vnde non inutile forsitan is hodie navaret operam, qui involutiore hac de re περιπέσματα, in lucem protraheret, ingenuè & nervosè ageret, utriusque partis momenta ad sanctuarii statèram sic expenderet, ut uno quasi intuitu singula conspicerentur. Inde enim fieret ut infirmiores hætenus implicati sophistarum spinis, exploratâ penitus veritate, circumspèctius illos legerent, & confirmatiores, vexati recoctâ illorum crambe, facilius se expedirent, & allatrantibus ora obturarent.

Præfat. in l. 1. de causa Dei, contra Pelagianos.

Sophocles in Ajace Mæg.

Γέννητο μὲν ἀν' πάντων Ἰσὴν περὶ χαμένους.

2. Accepistis superioribus comitiis (V. P.) ex hoc contextu & loco, absolutum Dei decretum, tam de reprobis, quam de electis sic stabilitum, ut non esset quid quispiam reponeret, nisi Apostolo æquè ac nobis bellum indiceret. Multa de Apostolico scopo, varia de genuino contextus sensu generatim tunc disserui, quæ supponenda

nenda jam sunt ut concessa, non repetenda ut incerta, nisi forsan actum agerem & vos expectatione frustrarer. Consequens jam est, ut in scientiam quandam mediam, à Jesuitis nuper excogitatam, pari diligentia inquiramus. Connexio Orthodoxorum sic se habet: Si Deus non propter prævisam fidem aut opera, vel bonum usum liberi arbitrii, sed ut *propositum* ejus *fixum* maneret, hoc est, quia illi tantum sic placuerit, Jacobum ab aeterno elegerit, Esavum verò rejecerit; tum decretum præcedit scientiam, & ideò præscit Deus cujuscunque generis futura, quia decrevit talia futura, non ideò decrevit aliquid, quia in hanc vel illam partem, liberum hominis arbitrium se ipsum determinaturum præviderit. Vnde corrui *scientia conditionata* sive *media* de futuris contingentibus, quæ indifferentem voluntatis determinationem, expectare potius dicitur, quàm antevertere. Ista autem, quoniam ut nebula hodiè excitatur, ad obscurandam saltem, si non obruendam, eam quam tradidimus de prædestinatione doctrinam: ut obstaculum hoc è medio tollamus, sit quaestio hæc vice discutienda. *An præter scientiam simplicis intelligentia, quæ tantum est de possibilibus; & scientiam visionis quæ solummodo respicit futura; detur etiam in Deo scientia quadam tertia seu media, de futuris liberè contingentibus, non absolutè, sed ex conditione; quæ cognoscit Deus quid homines vel Angeli, absquè aliquo præcedente decreto, liberè essent facturi, si cum his vel illis circumstantiis, in tali vel tali rerum ordine collocentur.*

Becan. de
scientia Dei
c. 10. q. 1.

3. Quod ut plenius intelligatur, res ab ovo (quod aiunt) altiùs est repetenda. Dissipatis, partim per decreta Conciliorum, partim per accuratissimas Patrum lucubrationes, Pelagianorum copii; non ita extinctæ prorsus fuerunt, quin apud Malsilienses in Galliâ latibulum invenerint. Ista autem crudiora Pelagii effata, ita affabre condièrunt quidam, ut cœperit tandem Semipelagianismus (qui ad conversionem peccatoris liberum hominis arbitrium cum DEI gratiâ in partes admitteret) Scholasticis nonnullis sapere; hinc enim ad operum meritum viam sterna subolfece-
runt, unde plus quàm micæ corradere Monachorum abdomina. Aquinas interim & Dominicani, Augustini doctrinæ addictiores, utcunque meritum & arbitrii vires non ausi sunt prorsus enervare; prædestinationem tamen ex prævisâ fide, aut operibus nunquam admiserunt; fixum illud semper tenentes, nihil *effici in tempore, quod ab aeterno non fuerit decretum*; ideòque *præscitum*, quia *decretum* erat ut sic efficeretur. Quas sinceræ veritatis scintillulas, cum Reformati postea è cineribus eruisent, & luculentius multò illustrassent; observârunt Tridentini Patres parum rationibus ipsorum conducere: ideòque per totam sessionem sextam istius conciliabuli, id unicè agunt, licèt vafre admodum (ut notat Chemnitius) & involutè, ut peccatoris conversio non in solidum gratiæ Divinæ, sed partim *gratiæ*, partim *libero arbitrio* adscriberetur. Anathemate omnes syderantes qui in oppositum vel *quæ* mutirent. Sentiunt interea Thomistæ, Augustinum, & Thomam suum hoc decreto vapulare (ut liberiùs Medina, Bannes, & Cumel nonnunquam effutiunt) sed cautiùs hæc agendum, ne hæreseos suspicionem incurrerent. Quid sit? Emergunt tandem è puteo abyssi Locustæ Jesuiticæ, Thomistarum simplicitatem non probant, Concilii sensum sic exponunt, ut licèt verbis detestentur Pelagianorum fermentum, eandem tamen arbitrii libertatem per Pseudothyrum clanculum sic intromittant. Primò (inquiunt) regula generalis est, *Facienti quod in se est ex naturalibus arbitrii viribus, Deus non denegat auxilium sufficiens*: Quod secundo asserunt, Non per internam aliquam & efficacem gratiæ motionem, sed externam tantum & moralem suasionem consensum liberi arbitrii non tam *efficere* quàm *elicere*. Cum igitur Deus, ut contingentia ab-

Bell. l. i. de
grat. & lib.
arb. c. 12.

solu-

solutè futura, ita conditionatos liberi arbitrii flexus ab æterno præsciat; hisce bene uiuros ad vitam, alios ad mortem justissimè prædestinat. Ecce vobis prædestinationis fundamentum, non in æterno Dei proposito, cum Apostolo quæsitum, sed domi in arbitrii libertate ex parte saltem natum & inventum. Quod, (siquis licèt aliàs assueti) nullatenus deglutientes recentiores Dominicani, rejecerunt præcipuè hoc argumento. *Omnis præscientia boni usûs liberi arbitrii, pendet à Dei decreto, ideòque necessario illud sequitur, & nullatenus ut causa, vel ut conditio præcedit.* Antecedens statuminant ex recepta scientiæ Divinæ, divisione in *scientiam simplicis intelligentiæ* siue naturalem, & *visionis* siue liberam, ex quibus illa Dei *potentiam & possibilia*; altera *voluntatem & futura* tantum respicit. Ita argumentabatur Cumelan 1582. cum primùm has Pelagianorum scintillas apud Lovanienfes resuscitari inaudivisset. Quod ut Jesuitæ suo more eluderent, scientiam hanc (de quâ agimus) *mediam* excogitarunt, in quâ adeò mirificè sibi ipsis placuerunt, ut de genuino ipsius parente, haud segniùs ac de *puero vivo* inter meretrices, 1. Reg. 3. sit decertatum. Ego (inquit Fonseca) in Academia Conimbricensi, hoc primus observavi: Imò potius ego (clamat Molina) apud Eborenses meos. His non cedit Leonardus Lessius Lovanienfis, & suo cerebello de eodem partu ambitiosè gratulatur. Vociferantur è contra Dominicani, terminos antiquorum hîc refigi, & à novatoribus pro libitu huc & illuc transponi. Papam igitur consulunt. Is legatum Frangipanum anno 1586. mittit Lovanium, ubi præcipuè lis incaluisse, & ita pro tempore compositi videbantur fluctus. Donec elapso circiter biennio Ludovicus Molina anno 1588. libro de concordia liberi arbitri cum donis gratiæ, tanquam alter Æolus, ventos rursus immisit. Ægrè hoc habuit Dominicanos, ideòque non tantum publicè Molinæ hoc exagitârunt commentum, sed privatim etiam præceperunt discipulis suis, ut à lectione Jesuitici istius operis penitus abstinerent. Vnde secundò eadem controversia ad Pontificis redit tribunal. Citantur ad disputandum utriusque sectæ primipili; longa est injuria, longæ ambages. Interea dum Papa tergiversatur, & hos & illos suspensos comperendinat, edidit Dominicanus quidam anonymus Belga Instructionem quandam manuscriptam anno 1599. quâ ostendit Molinam præcipuè & Jesuitas, nihil in hâc causâ adducere quod jandudum à Patribus (Augustino præsertim contra Pelagianos) ventilatum satis non erat & profligatum. Huic responsum statim se parasse gloriatur Jesuita Lessius, quod lerò tandem, nescio quo obstaculo, post decennium lucem aspexit. Succenturiati deinde accessere Gregorius de Valentia, 1. part. disp. 19. q. 14. Suarez duobus hâc de re libris inter opuscula, Vasquez, 1. part. disp. 65. quibus masculè se opposuit Cabrera Dominicanus in 3. par. Aquin. q. 1. disp. 1. §. 17. Et q. 18. art. 4. disp. 2. Papâ interea cum Baal vel dormitante, vel hostes prosequente, certè in tanto rerum turbine, pro sui iudicii infallibilitate, nihil omninò statuente. Vnde ausus est Paulus Benius deribitorem agere, & suum interponere calculum, in opusculo quodam anno 1603. qui, ut contendit in primis contra Dominicanos, non ferendam esse hanc (quam illi astruunt) *physicam* voluntatis per gratiam *determinationem*, ita rejicit è contra *scientiam mediam*, Jesuitarum Helenam, nec aliam admittit gratiæ quàm in excitantem & adjuvantem distributionem. Et huc usque certè non malè. In summa verò dum prædestinationem cum Jesuitis arbitrii indifferentiam respicere, futura tamen contingentia, haud aliter ac in decreto cum Dominicani, Deo esse præscita statuatur: quomodò ista inter se bellè cohærent, fateor me adhuc satis non assequi. Interea dum putat Benius se non ingratum emisisse susurrum, ad litem tam ancipitem

In 6. Metaphys. q. 6. sect. 8.

sopiendam, damnatur ipsius liber à Pontifice donec corrigatur. Qui etiam ne nihil ulterius in tanto rerum discrimine statuere videretur, sapientissimo (inquit Lessius) consilio, nihil prorsus determinavit: prohibuit tamen ne quis alium graviore aliqua censurâ inter scribendum vel disputandum notaret. En præclarum controversiarum judicem, qui à suis toties fatigatus, in re tanti momenti non audet sententiam interponere. Fieri fortasse potest, ut sicut Plutarchus philosophatur de oraculorum defectu, ita evaporavit tandem vetustate, innata virtus istius cathedræ, ut non valeat, sicut antiquitas solebat, è tripode oracula fundere. Non indictis igitur in tanto partium studio induciis, flagrantius erupit flamma, nec in disputantium tantum exhedras, sed in Typographorum officinas. Inde Cumel in disputationibus variis, anno 1605. Inde post triennium Ripa in 1. part. Aquinatis, q. 14. nominatim Molinam, Suarez, & Vasquez, ut Pelagianismo nimium faventes, apertius exagitant. Cùmque eodem anno Martinus quidam Malfaregnhas Argarbiorum Episcopus, Jesuitarum patrocini-
1605.
nium in se suscepisset, descendit cum eo in arenam Navaret Dominicanus in 1. part. Aquinatis, q. 14. & ad eandem sententiam stabiliendam integrum opus pollicetur. Eodem fere tempore Alphonsus Curiel eandem controversiam discutit, & profite-
Thef. 4. de
nat. Dei
Pag. 40.
Pag. 261.
tur neutram opinionem è Scripturis, Conciliis, aut Patribus, perspicuè posse deduci. Rationi tamen magis consentaneam esse Jesuitarum sententiam. Quod asserit etiam Dioralevius quidam Jurisconsultus in distincto hac de lite opusculo, ad explicandum Concilii Tridentini decretum præcipuè accommodato; quorum rationes contrahit & diluit Matthias de Rispolis ordinis Prædicatorum anno 1609. Jesuiticæ autem hujus innovationis semina nonnulla sparsisse antea cum Pererio, Stapletonum nostrum, observavit Curiel. Nec dissentit à sociis Bellarminus in controversiâ de gratiâ, & libero arbitrio, utcunque ne Thomistas irritaret, veteratoriè omnia involvat & dissimulet. Denique anno 1612. Dominicanorum causam apud Regem suum Hispaniæ Philippum tertium ita copiosè & nervosè 12. libris egit Didacus Alvarez Archiepiscopus Tranensis & Salpenlis, ut habeant domi Jesuita in quo oleum insu-
Differ.
Pag. 346.
mant & operam. Micas tamen quasdam ab eo tempore ruspârunt de eâdem lite Martinus Becanus part. 1. Theolog. Scholast. ad cap. 10. unâ cum Albertino qui omnes conclusiones Theologicas deducere satagit ex principiis Philosophicis: Quibus Nugnonem opponas Thomistam, antagonistam satis acrem, ad 3. part. Aquin. qu. 62. Atque utinam reformatorum alicubi massam, non infecisset fermentum hoc Jesuiticum. Nimiùm hodiè teruntur omnium penè manibus Jacobi Arminii theses, & ad articulos (20.) responsio, in quibus Scientia Media nominatim proponitur & defenditur. Eisdem insitit vestigiis Conradus Vorstius in disputatione suâ de Deo & ad eandem notis, ubi post multas tandem ambages hæsitare nihilominus vide-
C
tur. Nam profectò (inquit) *nihil extra se verè futurum novit Deus, infallibiliter saltem, quod non ipse futurum aliquatenus decrevit.* Sed animosior Nicolaus Grevenchovius in dissertatione Theologicâ adversus nostrum Amesium, non dubitat aperte nobis nuncium remittere, & Jesuitarum patrocini-
le etiam
um suscipere. Tam faciliè circumaguntur ἀνδροι quædam vsφέλαι, qui mallent esse sacrilegi, quàm acuti non videri, & ultra vulgus sapere. Quæ eò prolixius exposui, ut constaret iis quibus non commodum est, vel non vacat hujusmodi pervolvere, quanti momenti sit præsens de scientia media controversia, quas turbas & antehac dedit, & quoridiè excitat, non tantum inter privatos Doctores, sed celeberrimas Scholasticorum familias: quibus nihil familiarius est quàm liticulas nostras hyperbolixως exaggerare. Quàm ridicu-

lè etiam Papa se venditat controversiarum Judicem in omnibus Ecclesiis, cum non audeat infallibilitate suâ niti, ad domesticas lites dirimendas, ne victi forsân indigna bundi ab ipso deficerent. Denique quàm periculosè versentur in Ecclesiâ subtiliora nonnulla ingenia, quæ meditationes jactant sine lectione, ut observare licet in Arminio; vel libertatem urgent prophetandi ad quodvis innovandum & docendum, qui pruritus Vorstii videtur esse, & Socinianorum. Quorum primum doctrinam, secundum disciplinam, utrunque pacem perturbat, firmatæ præsertim & stabilitæ alicujus Ecclesiæ. Hactenus de quæstionis occasione, progressu, & successu, tam inter Reformatos, quàm Pontificios, sequitur ut in re ipsâ vestigia jam figamus.

Benedictio.

4. *Non intempestiva est hac vestra interpellatio, tamen si lectionis cursum impediatur (Inceptores spectatissimi) presentiam quam petitis in Vesperis, & sequentibus Comitibus libenter spondeo, ad benedicendum autem invitat tam rei de quâ agitur argumentum, quàm pia vestra petitio. Cum enim benedictio sanctificationis sit, & gratiarum viva collatio, (definiente lib. 2. de benedict. Patriarch. Ambrosio) sic ut gratia collata sit benedictionis effectus, & benedictio rursus à gratiâ conferente profluat; qui gratia agit apologistam adversus arbitrii patronos, benedictionem, ipsius fructum non potest non libentissimè illis impertire: qui eò quòd ad vota & benedictiones confugiunt, ostendunt sese in eadem causâ, nec propriis niti viribus, sed gratia adjutorio. Equidem beatum non facit hominem, nisi qui fecit hominem, (ut scite ad Macedonium, Ep. 52. Augustinus) nec ob aliud existimat idem Pater Philosophos, veram pietatem assequutos non fuisse, nisi quia beatam vitam ipsi sibi quodammodo fabricare voluerunt, potiusque patranda, quàm impetranda putaverunt. Quò laudatior est vestra sinceritas (dilecti filii) qua non venditat, sed petit id quod deesse animadvertit, nec satis se arbitratur munitam adversus tot insidiantium πειρασμῶν & κωλύσεων, nisi matris Academiae & Theologiae solennis accedat benedictio. Honora patrem tuum, & matrem, præceptum primum est cum promissione: ad Ephes. 6. 2. Nam & si pauperes sint, & non habeant divitiarum copias quas relinquunt filiis, (ut prudenter Ambrosius) habent tamen ultimam benedictionis hereditatem, quâ sanctificationis opes successoribus largiantur. Unde Isaac Jacobum ad Padanaram non prius ablegat, quàm repetita benedictionis viatico illum instruxisset, Gen. 28. Jacob non dimittit Angelum, priusquam benedictionem etiam accepisset, ibid. cap. 32. Quid quod & Ethnici, non parùm momenti in benedictionibus & execrationibus videntur reposuisse. Vox est ista Pharaonis ad Moysen & Aaron; Surgite, egrediamini, immolate, & abeuntes, mihi benedicite, Exod. 12. E montibus Orientis accivit Balac Balaamum, ut populo Dei malediceret, quibus tamen benedixit præter ipsius sententiam, Num. 23. Nec armatus prodiit Goliath gladio tantùm, aut hastâ, aut clypeo; sed (ut Salmoneus hodiè Romanus) maledixit David in Diis suis, 1. Sam. 17. Quòd si jam penè obtinuerit inter omnes, vel infima sortis homunciones, ut liberos non permittant, saltem longius à se concedere, nisi votis, & precibus, & benedictionibus, iterum, iterumque reperitis sollicitè illos comitentur: Quanto magis hoc Academicis & Theologis convenit, qui ut civitas in monte hic à Domino erigimur; ut non præcepto tantùm, sed exemplo ceteros dirigamus? Non supervacanea igitur aut ludicra est hac à majoribus huc usque continuata benedicendi sollemnitas, quam putaverit quispiam hodiè eò magis vobis expedire, quo discrimina studiosis graviora sunt undique hoc tempore.*

De benedict. Patriarch. c. 1.

5. *Obiter tantùm ut instem in presenti negotio. Si hostis aperto Marte Ecclesiam adoriretur, in procinctu facilius esset, aut virtus quâ violentia repelleretur, aut patientia ad ferendum, aut fuga ad nosmet ipsos eximendos: sed videt Satanus hujusmodi non*

succe-

succedere, ideòque convertit se in Angelum lucis, ut inde (si esset possibile) electos ipsos in nassam suam pertraheret. Speciosum quidem est nomen libertatis, & horrendum sonat carni è contra, & sanguini, absolutum reprobationis decretum. At pauci interim animadvertunt, quo tendant illorum conatus, qui ista virulentiùs exagitant. Putatisne Scientiam mediam, materiam tantum esse areæ Scholasticæ, quam admiseris vel exploseris, veritati nil præjudicaveris? Supini sunt nimium aut increduli, qui sic patiuntur se deludi: quinimo latet hæc larvâ voluntatis post lapsum ἀντινομία, qua libere contendat ad actus supernaturales, non efficiente gratiâ, sed tantum suadente, posse se saltem erigere; later meritum, quod cælum, non ut donum omnino gratuitum, sed aliqua saltem parte ut debitum vendicat: Ut omittam gratiam, fidem, Christi λόγος, (sicut sacra in cœna symbola) dimidiata nobis relinqui; duo humanarum actionum principia coordinata tantum, & non subordinata, subdole introduci; malagma quoddam ex Pelagianismo & Manichæismo fraudulentè contemperari, quo docti phrenesi vix sanandâ sic aguntur, ut medicum false irrideant, aut furiose in illum debacchentur. Non desunt interea talibus speciosi prætextus, rationis humana dignitas & excellentia, veterum (presertim ante exortum Pelagii) sententia de hæc re ancipites, rei ipsius difficultas, & consilii Divini profunditas: quibus deterriti quamplurimi, non ausi sunt nimium in hoc altum solvere, ne dum hostes precipantiùs insequantur, ipsi à vorticibus absorbeantur. Tantum autem cum robustioribus impendat periculum, & retia tendantur tam latenti artificio, quibus sagacissimos nonnunquam implicatos conspiciamus; quis ad preces, & vora, & benedictiones se non reciperet, ne in consilia talium veniat anima ipsius, sed ut gratiâ liberatus infirmiores corroboret?

6. Quare cum vos comparueritis hodie (dilecti Filii) non ut humana libertatis, sed gratia Divina assertores, & candidati, liceat mihi pro paterno in vos jure & affectu, inter benedicendum nonnulla interspargere, que reducant nobis omnibus in memoriam quid accepimus, & quale Domino obsequium speciatim vos hoc tempore spondeatis. Oculi vestri viderunt magnalia Domini, quam robusta manu, & extento brachio, nos ab Ægyptiacis Papis tenebris liberavit, & in mirabile lumen Evangelii sui vindicavit. In hoc loco quem jam calcant pedes vestri (tanquam oves protractas ad lanienam) conspexerunt Patres nostri, reverendum Archiepiscopum unum, Episcopos duos, quorum corrigiam calceamentorum nos vix digni sumus solvere. At felicior nostra conditio, ad sanguinem huc usque & proscriptionem non certavit, securus unusquisque recubat sub vite sua, & sub ficu sua, sicut antea sub illustri Debora, ita nunc sub pacifico Salomone: ut si ulterius daretur optio, quid amplius faceret Dominus vineæ suæ quod non fecit? Si vos igitur, qui Theologi estis, Depositu sollicitè custodiatis, tempestivè & intempestivè instetis, externum mundi typhum, interni hominis tranquillitati postponatis; lupos Jesuiticos prudenter, constanter, & animose, à caulis vestris arceatis, exuscietis gratiam, per impositionem manuum vobis collatam, & obliviscentes ea que retro sunt, exerto quasi collo ad destinatum supernæ vocationis brachium vosmetipsos extendatis, manifestum illud erit conscientis vestris iudicium, vos non scientia aliqua media, hypothetica, aut ancipiti, Patri cœlesti innovisse; sed immutabili illius decreto, in librum vitæ relatos, & ad omnes benedictiones, tam hujus, quam futuri seculi, certissimè esse destinatos. Aperiet vobis Dominus thesauros suos, & abundare vos faciet omnibus bonis; benedicti eritis in agro, benedicti in civitate, benedicti in privatis familiis, & benedicti in cœru populorum: nec vexabit vos sollicitudo, quomodo ad altiora assurgatis. Constituet siquidem vos Dominus Deus vester in caput, & non in caudam, & eritis semper supra, & non subter; extendet in super Deus tentoria vestra, ut confluant etiam ad ea, (sicut hodie videris) ut Japheti

Cramerum.
Ridleum.
Latimerum.
Elizab.
Iacob.

1. Tim. 6. 20.

Phil. 3. 13.

Deut. 28.

soboles ad Semi tabernacula, Jurisconsulti, Medici, Philosophi: illi corpora sarta cœta conservabunt; isti injurias propulsabunt: Juniores verò adolescent sicut novellæ plantationes, quæ mature transferantur in vestros hortos, & fructus proferant latificantes civitatem Dei.

7. Conjunctim autem vos sic alloquor (Theologi, Jurisconsulti, & Philosophi) quia indignum mihi videtur, quos benedictos reddit unio, verbo tantum aut oratione separare. Ut enim pueri (similitudo est Chrysothomi Hom. 14. ad populum Antiochenum) funiculum aliquod corruptum in diversa trahentes, disrupto (ut sit) vinculo, proprio plerumq; impetu supini prosternuntur: Sic docti & Academici se invicem mordentes (quemadmodum prædicit Apostolus) à se invicem consumuntur. O quam dulcesonat inter diversas nostras professiones illa vox tribus Iudæ ad tribum Simeonis, Jud. 13. Ascende mecum in forte mea, & pugna contra Cananæum, ut & ego pergam tecum in forte tua! Excubias itaque agat Theologus ne anima periclitetur: Corpori prospiciat Medicus ne istius Reipublica crasis aliquid detrimenti capiat: Caveat Jurisconsultus de singulis, ne debito fraudentur premio: & diligenter se instruat Philosophus, ut non hereat tantum in limine, sed ad altiora suo tempore mature assurgat. Denique cogitate vos hunc locum conscendisse tanquam olim Israelitæ, ductore Iosua, montem Geresim & Ebal, non ut pompâ solum theatricâ ritus quosdam observetis, & sic abeat, sed ad stipulandum Deo & Academia excitatiorem in Ecclesiâ & Republicâ industriam, quo gradibus à nobis commendatiore, ad vestros sitis reversuri. Alio si quis inter vos scopo hæc appropinquat sacraria, & abutatur matris indulgentiâ, excutimus in talem pulverem pedum nostrorum, ut benedictio nostra rursum in sinum redeat. Verum auspiciatiora de vobis pollicetur explorata vestra virtus & conditio. Quapropter hic nil nisi vota supersunt. Benedicat igitur vobis Dominus, & custodiat vos: ostendat vobis Dominus faciem suam, & misereatur vestri: Convertat Dominus vultum suum ad vos, & pacem vobis concedat: dirigat dicta, facta, & cogitata vestra juxta præscientiam istam approbationis, quâ ab æterno suos complectitur, non ad normam scientiæ mediæ, quæ præcipiti humana voluntatis rotatu incerto circumducitur. In cujus ulteriori indagine quæ restant hujus horæ minuta, punctiùs jam sunt infumenda.

8. Quod ut brevissimè fiat, primò termini sunt explicandi: Secundò, dissentientium sententiæ proponendæ sunt & conferendæ: Tertio, Orthodoxa sententia est confirmanda: Quarto, Adversantium objectiones diluendæ. Termini qui hîc occurrunt sunt tantum duo, *Scientia & Media*. Vox scientiæ (quæ ab Hebræis *דעת* à Græcis *γνώσις* dicitur) non scrupulosè nimiù in Deo, ab ipsius intellectu & sapientia est determinanda: (licet alicubi Augustinus *sapientiam Dei æterna, scientiam temporalia* respicere præcipuè autemet) hæc autem utcunque in se sit una & simplicissima; pro diversitate tamen objectorum & respectuum ad objecta, alias *activa*, alias *passiva* à nonnullis dicitur. Sed *passiva* potius est nostra scientia de Deo, quâ ipse à nobis cognoscitur; quàm Dei, quâ cognoscuntur ab ipso omnia. Hæc siquidem *activa* tantum est, & occurrit in sacris literis sub duplici discrimine, primò tropice, idque vel per synecdochen generis, quatenus denotat *approbationem*; sic *novit Dominus viam justorum*, hoc est, probat, Psal. 1. Quo sensu *ὁ θεὸς γινώσκων*, includit *ὁ θεὸς οὐκ ὀνομαζόμενος*, sive decretum Dei benevoluntatis de salute nostrâ; Act. 2. 23. Rom. 8. 28. & 11. 2. 1. Pet. 1. 2. & 20. Et oppositam habet ignorationem, quâ Deus rem exosam ne novisse quidem affirmantur, Matth. 7. 23. & 21. 12. 2. Tim. 2. 19. vel per metaphoricam causâ metonymiam, quâ cognitor statuitur, vel pietatis, ut remuneret, vel peccati, ut puniat:

niat: unde memor dicitur, Levit. 26. & Psal. 85. vel oblitus, Ezech. 18. 22. & alibi: Sed acceptiones istæ sunt ab instituto nostro alienæ. *Secundo* igitur scientia Dei propriè cognitionem, sapientiam, vel intelligentiam illam complectitur, quæ res omnes scibiles uno intuitu complectitur, quod per metaphoram aurium & oculorum aliquoties exprimitur: ut constaret tam certò Deum omnia præcognoscere, ac si eoràm intueretur & susurrantibus aures admoveret. Hujus scientiæ objectum est omne τὸ νοητὸν quovismodo intelligibile, sive sit ipse Deus, sive aliquid præsens, præteritum, vel futurum extra Deum, existens, vel imaginariæ, substantia, vel accidens, res, vel rerum connexio, qua quidem ab æterno cognovit omnia, non successive, per compositionem, aut divisionem, hoc post hoc, aut hoc ex hoc inferens; sed uno & individuo essentiæ actu, non distractus ipse in plurima, sed collectus in seipsum, non confuse tamen, aut tantum universe, sed distincte & specialissime, seipsum in seipso, res alias in ipsarum causis, in ipsis præsentem, in causis antecedenter, in seipso supereminenter: non entia autem sive ἀδύνατα & contradictoria quæ nec actu sunt nec potentia, nec fuerunt, nec futura sunt, nec esse possunt ulla ratione, apprehendit nihilominus divina omniscientia, tanquam meras inanitates & extremos entium vel actu vel potentia terminos, non per ideas, non per species intelligibiles, non per similitudinem, (non enim utitur abstractione aut applicatione ad intelligendum) nec postremò per suam essentiam (quemadmodum præscire dicitur omnia entia futura & possibilia) sed simplici mentis fictione, seu per oppositum plasma. Ut enim privatio nobis innotescit non per propriam speciem, sed mediante habitu; & malitia non per se, sed per bonum oppositum: ita ineffabili quodam modo extenditur ad omnia non entia & impossibilia Divina præscientia, præsertim cum ex cognitione impossibilium, necessariorum, & contingentium, illustrior astruitur & distinctior intelligentia, in quibus dirigendis & ordinandis gloriosior postea elucet Dei sapientia. Scientia hæc propriè dicta, utcunque alias sortiatur apud Scholasticos pro diversitate objectorum & respectuum ad objecta distributiones) usitate contrahitur ad hæc duo membra, nempe ad *scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis*. Scientia simplicis intelligentiæ, quæ & *naturalis & indeterminata* dicitur, omnipotentiam Dei solummodo respicit, ideòque complectitur possibilia tantum, tam quæ futura sunt, quam quæ possunt fieri si Deus vires extenderet, & præcedit omnem liberum voluntatis actum. Visionis autem scientia libera, & intuitiva, à voluntatis dependet decreto, ideòque entia tantum quæ vel actu sunt, vel jam fuerunt, vel saltem futura sunt, tanquam præsentia, & coram se posita respicit. Et tantum de termino primo. *Secundo* per scientiam mediam sive conditionatam, intelligunt ipsius Patroni, præscientiam in Deo à præcedentibus distinctam, quæ versatur circa objectum, cujus veritas non dependet à decreto Dei libero (cum illud anticipet, & præveniat) sed à libertate creaturæ, Lessius. quam certò prævidit Deus, sive in se, sive in re, quomodo seipsam sit determinatura, si in tali rerum ordine collocaretur; oppositum cogniturus, si oppositum, liberum arbitrium, ut potuisset, ita voluisset facere. Una igitur juxta hos authores est possibilitium scientia, sed duæ sunt futurorum, altera *absoluta*, de qua regula; *Illud censetur prius cognitum per scientiam liberam, quod est prius volitum per decretum liberum.* Altera *conditionata* sive *media* inter & ultra naturalem Dei & liberam cognitionem, quæ eatenus convenit cum naturali, quatenus decretum antecedit; quatenus verò Ripa in Thom. q. 14. d. 4. includit hypothesin voluntatis non determinatæ sed adhuc pendentis, unde effectus posita conditione potest esse futurus, eatenus ad scientiam liberam sive visionis re-

ducitur. Cùm igitur nec præcisè sit naturalis nec libera, sed respectu objecti libera, respectu verò subjecti naturalis, rectè quis putaverit eam ab utrisque distinctam, & nomine scientiæ mediæ, sive conditionatæ congrue esse insignitam.

9. Hisce generatim positis, descendamus secundò ad oppositas sententias, quas inter se etiam breviter conferamus. Istæ autem sunt (quemadmodum partim constat ex superioribus) vel antiquorum, Pelagianorum sc. & Semipelagianorum, vel recentiorum, Pontificiorum & Reformatorum. Pontificii (qui inter se hîc dissentiunt) sunt vel Dominicani vel Jesuitæ. Reformati verò sunt Remonstrantes & Orthodoxi. Ante hæc usque tempora (inquit Ripa Episcopus Curzulensis) Theologus quisque hæc certissima habuit quæ sequuntur: Primò, *Deum esse causam rerum.* Secundò, *Non id se habere seipso tantùm, sed voluntate adjuncta.* Atque hæc duo interpretes ad articulum octavum ejusdem quæstionis quartæ, meritò scribunt esse de fide. Tertiò, *Geminam distingui scientiam, simplicis intelligentiæ unam, visionis alteram, & illam spectare possibilia, hæc futura.* Quartò, *Eam præintelligi actui Divinæ voluntatis; hanc ipsam complecti.* Quintò, *Non illam, sed istam rerum causam:* Usque dum Molina, Vasquez, Suarez, & alii ejus furfuris novatores (ut passim à Dominicanis audiunt) hæc omnia suis nuper natis speculationibus perfidè interturbâssent. Convenit autem primo inter omnes, Deum aliqua saltem scientia, non conjecturali, sed certissima & absoluta, non tantùm res ipsas, sed utiles earum combinationes, sive connexiones, præsentis, præteritas, vel futuras, necessarias, vel contingentes, ab æterno scire, ut ingenue largitur Cumel, tom. I. variar. disp. ad 1. part. Aquinatis dub. 5. concl. 2. cujus oppositum (addit) dicere, non est ferendum. Quocirca calumniantur Jesuitæ, dum impingunt Dominicanis, illos absolutè negare Deum præscire futura hujusmodi conditionata (consentiente nostro Paulo Ferrio in Specimine Scholast. Orthodox. cap. 23.) Et secundò nugantur, dum sententiam quam nemo tueretur, contendunt multis argumentis prolixè refutare. Convenit secundò, tale fundamentum esse assignandum hujus scientiæ, quod nec liberi arbitrii facultatem prorsus tollat, nec Dei gratiam excludat, sed utrumque inter se suaviter conciliet. Nec dissentiunt tertiò, an nuda Dei scientia aliquid ponat in rebus, adeo ut res futura sit, quia Deus præscit, non ideò præscit quia futura: constat siquidem eos qui causalitatem tribuunt præscientiæ Divinæ, voluntatem & potentiam, adjunctam intelligere, non separatam ab hisce intuitionem urgere. Quartò nec de nomine scientiæ mediæ movetur; admitti siquidem potest, ut monet Alvarez lib. 2. de Auxil. disp. 7. vel ut modus scientiæ simplicis intelligentiæ, quatenus conditionata sunt, quæ respicit tantùm possibilia, vel ut reducatur ad scientiam visionis, quatenus futura, licet sub conditione, intuetur. Verùm res substrata displicet, quatenus actus liberos voluntatis creatæ effingit, qui decretum Divinum non præsupponerent, sed ordine saltem præcederent. Vnde convenit ultimo, decretum Dei absolutum & scientiam hanc mediam, *divisæ* prorsus esse, quæ se invicem tollunt. Nam si omnes actus voluntatis liberæ, juxta decretum Divinum determinentur, sic ut Deus non aliter ipsos præsciat futuros, nisi quia futuros esse decreverit: non relinquitur locus actionibus aliquibus liberis, quæ decretum præcedere statuuntur, unde perit objectum hujus mediæ scientiæ, & per consequens ipsa scientia tollitur è medio. Cùm igitur sex ferè sint modi quibus Deus futura conditionata cognoscere dicatur: Primò in se, per scientiæ finitatem (ut asserunt Vasquez & Suarez, Secundò in seipsis, ut actus liberi in voluntate creatâ, quod placet Bellarmino, Tertiò per scientiam mediam, ut Molina: Quartò in suis

Inl. p. Aqu.
q. 14. dub. 4.
cap. 1.

suis ideis, quæ sententia est Halensis, Bonaventuræ, Cajetani: *Quintò* Per realem in æternitate præsentiam, ut putat Aquinas, & ipsius asseclæ: *Sextò* in decreto hujusmodi prædeterminante, ut Scotus, & qui illi adhærent: *Quæstio* non est an omnino cognoscantur, sed utro horum modorum cognoscantur. Jesuitæ confugiunt ad scientiam mediam, qua Deus vel *in se*, vel *in re* (nam hæc inter se non conveniunt) futura conditionata præcognoscit: Nostra contra est unica thesis responsiva. *Non datur talis scientia media, sed Deus infallibiliter præscit liberas voluntatis determinaciones, quia ipse ad hanc vel illam partem ab æterno per decretum immutabile illas sic disposuit.*

10. Quod argumentis quibusdam tertio jam restat confirmandum; quorum *Arg. 1.* *primum* ducitur ex textu. Si daretur talis scientia, qua Deus ante omne decretum intueretur in libera voluntatis determinatione, quid certò futurum esset in conditionatis, tum assignari posset ratio prædestinationis extra Deum, præter ipsius propositum sive *évδολογία*. Connexio patet, quia consensus iste prævisus voluntatis Jacobi, in tali dispositione constituti, conditio esset saltem sine qua non, Deus potius Jacobum quam Esauum ad salutem prædestinaret. Sed nulla ratio prædestinationis Divinæ, cur Jacobum potius quam Esauum eligeret, assignari potest, præter ipsius propositum, ut constat ex textu, *Nondum enim natis pueris, & cum nihil fecissent boni vel mali*, non propter prævisum liberi arbitrii bonum usum, per scientiam mediam, sed ut propositum Dei firmum maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est, *Major serviet minori*; ergò non datur talis scientia media. Respondent Jesuitæ: Conditionem non assignari per scientiam mediam ex parte prædestinatorum, sed prædestinantis; Dei enim est hæc scientia, non hominum. Nullus autem negaverit rationem prædestinationis quærendam esse in Deo, sed tantum extra Deum. *Contra*, licet Deus sit qui præscit, & inde prædestinat, objectum tamen quod præscit, & quod prædestinat, statuitur esse bonus usus prævisi liberi arbitrii, & non est hoc causam sive rationem decreti, extra Deum in lubrica hominis vertigine gratis ponere? Quod confirmatur *secundo* ulterius, ex parte objecti huius scientiæ Mediæ. Objectum huius scientiæ Mediæ non est scibile, nam si esset, tum aliqua necessitate: tum vel *consequentis*; at hoc non, quia nihil in re præcedit, quod causaret talem necessitatem, vel *consequentis*, & sic posito Jacobo in talibus circumstantiis & auxiliis, quæ non necessario inclinarent ipsius voluntatem, infallibiliter nihilominus converteretur: at hoc implicat contradictionem, ut aliquis effectus sequeretur infallibiliter necessitate consequentiæ, ex causa *defectibili & impedibili* (ut loquitur Alvarez) per concursum aliarum causarum, hoc est ex antecedente, quæ aliter atque aliter potest se habere; ergò non potest esse talis scientia: certitudo siquidem scientiæ præsupponit certitudinem existentiam, si non realem, & actualem, in rebus ipsis, saltem *idealem* sive *causalem*. Respondent Jesuitæ, certitudinem huius objecti, fundari in infinitate Divinæ scientiæ, quæ certò præscit ad quam partem *moralis persuasio* voluntatem, alias ad oppositum liberam, sit inclinatura. *Contra*, ergò omniscientia ista Dei vel effectus istos certos facit, vel non: Si sic, ubi voluntatis indifferentia? Si non, quomodo cohereret certa scientia, cum incerta voluntatis indifferentia? Quinetiam de futuris contingentibus (ut notum est juxta Philosophum) non est determinata veritas: Ergò ante decretum non est scibile, quid liberè faceret homo, sed tantum quid possit facere. Clamant Jesuitæ Aristotelem falli, effectumque determinatè futurum, non excludere indifferentiam causæ quæ operari potest, vel non operari: sed actionis; Quæ si secutura sit (etiam si potuisset antea omitti) aliter tum se habere non potest. At hoc non quæ-

Arg. 2.
Ripa in primam partem Thom. q. 14. d. 4. cap. 3.

De Auxil. cap. 7.

quæritur, an actio sequutura sit necessariò futura, sed unde ista necessitas? an à terminorum *connexione contingenti*, vel à *conuectentis efficaci decreto*? Instant ergo nostri, propositiones hypotheticas sortiri necessitatem ex infallibilitate illationis partium separatarum, quæ cum non inveniatur in futuris contingentibus (verbi gratià, si Adam poneretur in Paradiso cum tali præcepto, tum peccaret) non potest hîc haberi, aliqua certa scientia, quia illud sciri non potest, quod ex parte rei non est omninò cognoscibile. Respondet Becanus de scientia Dei c. 10. q. 6. Vtunque tales propositiones quoad formam sint *hypothetica*, quoad sensum tamen æquivalere *categoria*, differre nihilominus ab utrisque. Ecce ut in Theologicis scientiam mediam, sic in Logicis propositionem habemus mediam, quæ neque *categoria* sit nec *hypothetica*, quod nescio an quis præter Papæ mediastinos tam ridiculè assereret. Quantò rectius Aquinas, *Qui cognoscit* (inquit) *effectum contingentem in sua causa tantum, & non in causa aliqua superiori certò determinante, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem, quoniam ex causa indifferenti in quantum indifferens, non erit actus determinatus, & eadem ratione ex antecedente contingente in quantum contingens, non erit illatio necessaria ante decretum Divinae voluntatis*, part. 1. q. 14. art. 13. Tertium nostrum argumentum ex dependentia ducitur inter causam primam & effectus, hoc est inter Creatorem & creaturas: impossibile enim est, ut aliquis effectus vel sit, vel intelligatur futurus, in aliquo casu nisi dependenter à sua causa efficiente. Propositio est hæc prima Philosophi, *lib. de causis*, cui etiam innititur tota fabrica Scholasticæ Theologiæ, quæ entia creata haud aliter considerat, nisi ut tot emanationes à prima causa, à qua dependent in esse & operari, ut à sole radij. At positâ hæc sententiâ mediâ, substernitur ei pro objecto libera voluntatis determinatio, quæ à nulla causa superiori dependet. Ergo ponitur effectus sine causa, creatura sine creatore, & per consequens talis scientia est penitus explodenda. Acriter hoc premit Ripa, in 1. par. Aquin. q. 14. c. 3. d. 4. Etenim hinc (inquit) constitueretur hic ordo, ut *quia facturus est homo, faciat Deus, & quia causa secunda facit, faciat prima*, & non è contra; quod & S. Augustinus derestabatur *lib. de præd. sanct. c. 10*, & vera Philosophia, sanæque Theologia. *Demum non natura modo, sed nomina ipsa Dei, hominis, cause primæ, & secundæ, ita abhorrent, ut nihil magis, & ij, quibuscum disputamus, non nisi trepidè & sub quibusdam meandris hoc audent asseverare*. Hæc ille. Respondent adversarii, sufficere voluntatem ipsam agnoscere esse creatam, & ipsius libertatem esse à Deo, quâ uti non potuisset homo, nisi accepisset ut uteretur. Vnde præcit certò Deus, quomodo se inclinabit, quia hoc privilegium ei concesserit, ut liberè se inclinaret. Atqui hoc non tantum est speciale Dei influxum (quod reprehendit Schola in Durando) in actus liberos negare, sed statuere duas causas parciales, simpliciter primas, ejusdem effectus, respectu liberæ actionis ad unam primam non reducibiles, voluntatem Divinam, & creatam, sic ut Deus non esset solus author nostræ salutis, sed approbator, testis, sive inspector, ut habet Prosper contra Collatorem, & Maxentius contra Faustum in respons. ad Epist. Hormisdæ Papæ. Denique gratia aptius diceretur pedisse qua humanæ inclinationis, quàm domina, comes, quàm causa, quod causarum subordinationem tollit, & evertit omnia. Quartum argumentum est à comparatione conditionatorum cum absolutis; Ita se habet decretum Dei conditionatum ad futurum conditionatum, sicut decretum absolutum in ordine ad futurum absolutum: Sed implicat contradictionem (ut fatentur Jesuitæ) ut aliquid sit futurum absolutè, nisi ex decreto Dei antea decernentis, ut tale sit futurum absolutè, sicut ostendit

Arg. 3.

Vindic.

Arg. 4.

dit Augustinus in Enchirid. ad Laurentium, cap. 95. Ergo implicat etiam contradictionem, quod aliquid sit futurum conditionatum, nisi præcedat decretum Dei conditionatum, quod scientiam mediam (quæ omne decretum statuitur antevertere) prorsus tollit. *Quintum argumentum* est ex sufficienti Divinæ scientiæ divisione, in scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, quarum objecta cum sint non ens & ens, inter quæ non potest fingi medium : non relinquitur ergo scientiæ mediæ objectum medium, unde definit esse scientia. Adversarii hîc coguntur ens ex suppositione, ut medium inter contradictoria inferere, sed frustra. Ens siquidem illud conditionatum, vel aliquid est in se simpliciter, vel nihil; Si primum, comprehenditur sub scientia visionis : sin nihil sit, sed tantum per potentiam creatoris possibile, coincidit cum objecto simplicis intelligentiæ : quid igitur opus est novam hanc & neutram in Deo comminisci ? *Sexto* injicit compedes hæc sententia Divinæ libertati & providentiæ. Nam si voluntas humana liberè se determinet ante decretum Divinum, tum nihil potest disponere Divina potentia & providentia, nisi expectato, & prius habito voluntatis creatæ assensu, cum qua concurrat, ut causa partialis ad effectum producendum : cumque ea quæ præscit Deus ante præfinitionem suæ voluntatis, innotescant ipsi per naturalem ipsius scientiam, non possunt aliter se habere per decretum subsequens, quod videtur primæ causæ limites præscribere. Urget hoc argumentum Cumel loco sæpius citato, nec video quomodo adversarii satisfaciunt. *Septimo*, nec nodos solvit hæc scientia media, in gratia & libero arbitrio conciliando, ob quam causam præcipuè fuit excogitata, sed potius implicat ; ergo rejicienda est ut inutilis. Antecedens sic firmatur. Actus liberi arbitrii à decreto non determinati, vel determinationem habent ab alia causa externa, vel non. Si primum, tum vel à constellationibus, vel ab individuali complexione, vel à morali persuasione, aut modo aliquo alio ; at hoc quocunque modo eveniat, non minor difficultas oritur, cur ista fœlicius cederent Jacobo quàm Esauo. Sin voluntas hîc naturaliter consentiret, tum aliter non potuit facere, ergo non dissentire : ergo positis hisce circumstantiis non est libera. Atqui ita incidunt adversarii in laqueos, quos nobis tetenderunt. *Octavum* sumi potest argumentum ab Antiquo : um suffragiis, Hieronymo, Augustino, Fulgentio, Prospero, & numerosâ Scholasticorum turmâ, qui horum vestigijs quovis penè seculo sunt insequuti. Farentur hoc Molina disp. 18. memb. 2. §. Authores præterea, & Vasquez ad finem c. 4. disp. 67. Quorum testimonio verissimo (inquit Ripa) ab onere illo, quod in tot tantisque Scholasticis commemorandis nobis contingere potuisset, levati sumus. Vnde mira est confidentia Lessij & Suarez, qui existimant se posse suis præstigijs Patres omnes & Scholasticos ad suas partes torquere. Magis ingenuè Molina & Arminius, Augustinum hac in causa rejiciunt : quod si explanata tum fuisset, ut hodie est per Jesuitas hæc doctrina ; Fortè (inquit Molina) neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem ausi fuissent negare ; neque ex Augustini concertationibus cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent : facileque reliquæ illæ Pelagianorum in Gallia (Marsilienses intelligit, quos utcunque à Concilijs condemnatos, Lessius Jesuita in Catholicorum albo reponit) fuissent extinctæ. Ecce (inquit senex Cumel) *quàm sinistrè loquuntur de eruditione Augustini, & de sententia eius in contentione, quam habuit contra Pelagianos.* Sed de ponte deturbanus est Augustinus, si parùm obstiterit Pontificiis hisce mangonibus, & si ipsis visum fuerit, hæretici à tot seculis condemnati Catholicorum nomine sunt rursus cohonestandi. Postremò pa-

Argum. 5.

Argum. 6.

Argum. 7.

Argum. 8.

Disp. 14.
dub. 4. c. 1.

Pag. 123.

Pag. 130.

Argum. 9.
Lib. 4. de
Grat. & lib.
arb. c. ult.
Parr. I.
Theol.
scholastic. c.
10. q. I.

troni huius inventi (ut testes contra Servatorem) non possunt inter se convenire; Bellarmini persuasio moralis, quam ponit esse fundamentum certitudinis huius scientiæ, non admittitur à Suarez & Molina. Inter Molinam autem & Vasquez non convenit de ejus objecto, referente & farente Becano. Alij illam sub scientia simplicis intelligentiæ comprehendunt, alij ad visionem referunt. Cum igitur textui manifestò adverteretur, supponat pro objecto quod non est scibile, effectum ponat non dependentem à prima causa; excludat determinationem Divinam in absolute futuris; destruat receptam istam scientiæ Divinæ bimembrem divisionem, in scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, cum libertati Divinæ & providentiæ compedes injiciat, Patribus & Scholasticis sanioribus non innotuerit; Pelagianos & Semipelagianos pro catholicis statuat; Nec de ea adhuc certò inter suos inventores conveniat, concludimus scientiam hanc mediam è medio penitus esse tollendam, nisi immotis argumentorum fulcris firmius stabilietur. Quæ cuiusmodi sunt, restat jam ut strictim ultimo in loco perpendamus.

ob. 1.

II. *Primum* sumitur à Prophetiis quibusdam comminatoriis sive promissivis, quæ passim occurrunt in sacris literis. Loci præcipue duo urgentur à Suarez, Lessio, & reliquis, ex quibus rectè examinatis, de cæteris quæ adduci possunt in eandem sententiam facile erit æstimare. Primus I. Sam. 23. 11, 12, ubi David consulens Deum de eventu ancipiti, an si maneret in civitate Ceila veniret Saul, & traderent eum Ceilitæ in manus eius: responsum accepit hypotheticum in hunc sensum; Si maneat, veniet Saul, & si veniat, tradent te Ceilitæ. Vnde argumentum, Deus prædixit hîc futurum conditionatum, ergo præscivit, sed non scientiâ simplicis intelligentiæ, quia illa tantum est de possibilibus, hîc autem agitur de futuro, non scientiâ visionis, illa enim est de certò futuris; hîc futurum nil erat nisi posita conditione, ergò hoc præscivit tantum per scientiam mediam, & per consequens talis datur scientia. *Respondeo* cum Dominicanis, Cumel præsertim & Alvarez, constare quidem ex hoc loco Deum futura conditionata præcognoscere, sed non eo modo quo volunt Jesuitæ, nempe per scientiam mediam: quid enim obstat cur non præsciret Ceilitas Davidem tradituros, quia ipse decrevisset ut posita tali conditione, talis sequeretur effectus, qui tamen simpliciter nunquam esset futurus, quia ipse etiam statuisset Davidem à Saule aliter liberare. Præscivit itaque hoc ex decreto conditionato, non ratione suæ immutabilitatis, sed respectu objecti voliti, quod quidem non est ipsa conditionata propositio, sed eius connexio, quæ certa semper potest esse, tamen partes connexæ sint prorsus impossibiles. Confirmat hoc fusè Cumel ex Scoto, dist 39. Halensi, Richardo, & aliis. Sed quia potuit aliquis subterfugere (ut observat Suarez) asserendo

sol.

ob. 2.

Deum ista pronuntiâsse ex præcognito Saulis & Ceilitarum affectu: *Secundò* acriter urgent Jesuitæ, ex Matth. 11. Prævidit Deus prædicationem Evangelii, & Christi miracula persuasura fuisse Tyriis & Sidoniis pœnitentiam, quæ nihil valebant apud Judæos. Sed non aliter hoc potuit præsciri nisi in diversa inclinatione voluntatum illorum, quibus concessa erant æqualia auxilia, quod fundamentum est scientiæ mediæ; ergo neganda non est talis scientia. *Respondeo* strictim, ut supra, præscivit Deus Tyrios & Sidonios credituros, positis eisdem mediis externis, quia decrevisset, si concessisset ipsis prædicationem Evangelii, gratiam illam simul largiri, quam Judæis negasset, juxta illud Augustini, lib. de Bono perseverant. cap. 14. in hunc locum: *Audiant hoc, & faciunt quibus datum est: non autem faciunt, sive audiant, sive non audiant, quibus non est datum.* At instant: posito hoc decreto conditionato gratiam confe-

sol.

rendi

rendi Tyriis & non Judæis, nullius momenti esset Christi exprobratio; potuissent siquidem cives Corazin & Bethsaidæ respondere, Si nobis gratiam determinantem concedas, quam Tyriis & Sidoniis daturus fuisses, nos etiam pœnitentiam ageremus non minùs quàm ipsi; quomodo ergo nobis illos præfers? Respondeo cum auctore de vocatione gentium cap. 5. *Multa esse in dispensatione operum Divinorum, quorum causis latentibus soli monstrantur effectus.* Latet discretionis ratio, sed non latet ipsa discretio, laudemus igitur & veneremur quod agitur, *quia tutum est nescire quod regitur,* & tu quis es qui ex adverso respondas Deo? Addo tamen ulteriùs: tamen impossibile erat Judæos vel Tyrios converti per externam prædicationem Evangelii, absque prædeterminante gratia; quia tamen obduratiores erant Judæi propria malitia quàm Tyrii & Sydonii, idcirco rectè à scrutatore cordium corripuntur. Nam utcunque per vires liberi arbitrii impossibile sit ut hi sint istis meliores, per eisdem tamen graviores ab usum possunt esse nequiores, quia deficere in naturalibus aut moralibus est peccare, proficere verò in eisdem sine fide non est Deo placere. Rectè Abulensis in hunc locum, De iis quæ sunt pure beneficia non est petenda aliqua causa. *Secundò, Quod addunt ex Patribus, præsertim Græcis, non vacat particulatim discutere; habuimus antea ex Molina & Valquez, Patribus & Scholasticis hoc Jesuiticum commentum non innotuisse. Dicimus deinde cum Augustino libr. de prædest. sanct. cap. 14. Ante heresin Pelagii non opus erat ut Patrum scrutaremur opuscula, qui priusquàm ista heresis oriretur, non habuerunt necessitatem in difficili hac ad solvendum questione versari; ideoque liberiores erant, præsertim Græci, in libero arbitrio evehendo; partim ne Philosophis irridendi ansam præberent, partim ut Manichæis occurrerent, sic arbitrium deprimentibus, ut inde peccatum non voluntatis perverfitati, sed Deo adscriberetur. Postremò ne teneriores à praxi abducerentur, qui facilè quidvis arriperent quo scordiam nativam excusarent. Interea tamen gratiam nunquam excluderunt, licèt ipsius virtutem minùs quam par erat prædicarent. Vnde Augustinus libr. de præd. sanct. cap. 9. *Visum est mihi quod tunc satis erat, breviter esse dicendum* (loquitur de re quam habemus præ manibus) *qua nunc ex admonitione Pelagiani erroris, necesse est copiosius disputare.* Tertium argumentum alicujus momenti, est Nie. Grevenhovii contra nostrum Amesium, § 31. Si Deus futura contingentia non agnoscat, nisi in voluntate sua prædefiniente illarum futuritionem; ergo cum omnium futurorum eadem sit ratio, quoad præscientiæ infallibilitatem, necesse erit Deum peccata præcognoscere in voluntate sua prædefiniente, & ita esset author peccati. Respondeo: Protrita hæc objectio solutione nova non indiget. Sufficit enim inter actum & malitiam distinguere: Deus actum promovet, malitiam permittit & ordinat. Quæ quidem doctrina non tantum est Augustini libr. 2. de lib. arbit. & cap. 20. Anselm. libr. de concordia præscientiæ, prædestinationis, & liberi arbitrii cap. 1. Hugonis de sancto Victore de sacrament. fidei, lib. 1. part. 5. cap. 25. & Scholasticorum, Bonaventuræ, Aquinatis, Ariminensis, Cassalii, Andreæ Novocastrensis, Driedonis, Soti, omniumque Dominicanorum: sed Schaffmanni, & ipsius Arminii. Thes. 10. de efficacia Dei in malo, sect. 9. Quod autem ibidem subjungit, concursum Dei non esse influxum immediatum in causam secundam, sed in effectum, à Jesuitis accepit, & superiùs à nobis est refutatum. Præscit itaque Deus peccata, non in se qua talia, sed in decreto boni oppositi, ut alibi fatetur Arminius, quatenus scilicet peccatum est decreti consequens, non effectus; voluntas enim permissiva efficax est, non quoad productionem, sed quoad illationem. Non autem decrevit Deus*

Refutatio;

Object. 3.

sol.

Phil. 2.

Object. 4.
In defens.
art. 6.

Sol.

ut quis peccaret, sed decrevit aliquem propria malitia ruentem, non per gratiam retrahere ne peccaret: unde certò præsciat illum peccaturum, cum absque gratia ipsius ne bene quidem velle possimus. *Postremò* ita argumentatur Arminius; Quæ Deus cognoscit ex decreto futura, respectu ipsius decreti sunt omnino necessaria, ergo non possunt esse contingentia: quia contingens & necessarium integris differunt essentiis, ut contradistoria inter quæ non datur medium: ideòque ratione diverforum respectuum non possunt eidem adaptari. Resp. mirum est perspicaci Arminio non venisse in mentem, id quod apud omnes Metaphysicos adeò tritum est; aliter se habere necessitatem & contingentiam in simplicibus terminis, aliter in complexis. Licet igitur primo modo dividant ens, ut ille vult (hoc enim sensu Deus tantum est ens necessarium, & creatura contingens) nec possint eidem competere, secundo tamen, quatenus oriuntur ex diversa causarum secundarum ad effectus habitudine, eatenus sic coincidunt, ut quod respectu primæ causæ sit necessarium, respectu secundæ potest esse contingens. Idque ita disponente prima causa, quæ non efficit tantum ut res sit, sed ut suo modo sit: hoc est necessaria necessariò, & contingens contingenter. Nec tamen ista necessitas respectu primæ causæ libertatem tollit arbitrii, quia necessitas ista non est *coactionis*, sed *consequentia* seu *infallibilitatis*: quam observare etiam licet in Angelis & Dæmonibus, qui bene vel malè agunt liberè, & tamen necessariò, & in Servatore (ut optimè urget contra Jesuitas Matthias de Rispolis) qui ex decreto Patris peregit opus nostræ redemptionis, & tamen liberè, aliter nihil meruisse, quod facile esset confirmare, non tantum ex Patribus & Scholasticis, sed etiam ex domesticis nostris, Grostheado Lincolnienſi Episcopo, & Bradvvardino Cantuarienſi, nisi hoc impendio esset abuti patientia vestra in re præsertim adeò spinosa, quæ nulla ratione potuit esse grata. Multa hic sunt omiſſa, plura contracta, unde singula evasere involutiora. Ex dictis jam (ut spero) liquet, quàm fractis manibus & cervice, (ut Dagon coram arca) concidit cum ad gratiæ latus statuitur, ut pari passu cum illa ambulet, humanum arbitrium. Si qui sint in hac re aliter affecti, Deus quoque hoc illis reterget, voveo saltem cum Apostolo, *incedentibus* præsertim pacatè *juxta eandem regulam*. Me quod attinet, horreo quicquid de meo est ut sim meus, ut me ipsum aperiam cum Bernardo: & si habuero quicquid justum, conclusio tamen erit cum Job, *Non respondebo, sed iudicem meum deprecabor*. *Gratia igitur Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei Patris, & communicatio Spiritus Sancti sit in omnibus nobiscum, & operetur omnia in omnibus; Cui Patri, Filio, & Spiritui Sancto, sit omnis honor, laus, & gloria in secula seculorum. Amen.*

Philip. 3.

Cap. 9. v.
33.